Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis disputationibus, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-sextâ Februarii.

M. JOANNE ROBERT, Doctore Medico, Præside.

An unquam incipientibus internis inflammationibus Mochlica, & hypnotica ex opio, phlebotomiæ præferenda?

SANGUINEM esse Naturæ thesaurum apud omnes est in confesso; eo se tuetur, fovet, ac sustinet; eo defraudata perit: sed hunc esse quamplurimorum & acutissimorum morborum parentem, vix unusquisque potest in animum inducere suum. Quanquam enim purus & laudabilis existat, si exuperet, & eo divites tum venæ tum arteriæ turgeant, suis hisce corpus virtutibus oneratum, sæpe procumbit: tanta quippe moles vitio datur, vix à naturâ gubernari potest, illiusque magisterio subjici; prodit sæpenumero extra præscriptos limites, & provocat vomitum ictumque sanguinis, aliaque mala circumgerit hæc luxuries, quæ in gravia pericula præceps ferri solet. Si à nativa indole sit degener, & putredinis vitio inficiatur, ut est alimenti pars optima, admodum purgata & elaborata; sic immutatus, horror est! quantas strages edere soleat, quam dira parere symptomata, sive in vasis resideat clanculùm sæviens, sive ex iis effusus in locum aliquem, & hinc exitu prohibitus, authorem se præbeat cladis & ruinæ partium, quarum νέκρωσις crebrò consequitur. Hinc jure exploditur eorum opinio, qui sanguinem nunquam redundare, Naturam vitæ magistram & ducem nunquam nimium conficere & continere, nec in locis sibi naturaliter destinatis putredinem concipere posse, & sanguinis morientis charactere indui, obfirmatè pronuntiant.

QUI φλεγμονὰς seu inflammationes progignit humor, sanguis est; & reus & author hujus incendii, ad partem aliquam appellens, ibique stationem parans, in illius exilioribus vasis effervescit, & flammam concipit: tunc æstus immodicus percipitur, febris emicat, jactatio corporis non mediocriter fatigat ægrotantem, urinæ flammeæ & acres redduntur, dolor persentitur plus minusve habita ratione partis læsæ, cujus est obtusus aut exquisitus sensus. Sanguis autem ille rarò sincerus est, at sæpenumero biliosus; frequenter quoque depravatur, necnon permiscetur succis excrementitiis, quorum occursu & commercio deterior evadit, & novam malitiæ labem adipiscitur, funestam sæpè, si partem nobilem tetigerit, peccaverit æger novo vivendi errore, deliquerit in remediorum usu, Medicus suo rectè non functus fuerit officio, in quem sæpè culpa rejicitur; jure, an injuriâ? tunc enim opus est celeritate, & absque ulla procrastinatione, ea veniunt in usum præsidia, non quidem quæ hosce affectus efferos irritare & accendere valent, sed quæ dotibus nobilioribus instructa, eorum causam pessumdare & circumcidere apta sunt, magno ægrotantis bono & solatio, verâ & solidâ Medentis gloriâ & ornamento.

MOXAIKA' medicamenta, qualia vulgo circumferuntur Elleborus, granum cnidium, Colocynthis, Scammonium, elaterium, gratiola, stibium &c. sursum aut deorsum, aut utroque modo è distantissimis regionibus humores extorquent, pleraque absque ullo delectu: calore intenso pollent, omnia valdè urunt, & viscera, sanguinem, & spiritus inflammare perhibentur. Opium quoque, quod liquor est lacteus ex papaveris scapo leviter inciso elicitus, recentior Ætas, admodum attenta & sagax in indagandis Naturæ mysteriis, esse impensè calidum audet asserere, & perspicuè demonstratur insigni quo pollet amarore, odore gravi & viroso nares feriente, quod facile flammam concipit candelæ admotum, quod devoratum ardore & acrimoniâ fauces accendit, linguam vellicat, sitim promovet, instigat ad venerem; censeturque pars ejus oleosa sive sulphurea esse subjectum virtutis illius soporiferæ, quæ ipsi naturaliter insita est; sicut quid simile vino ingenitum est, cujus spiritus totus flammeus soporem ebrietatemque conciliat. Ne vero putes famosum laudanum opio puro & nativo pretiosius esse; quo diligentiùs præparatur, eo debilius evadit, parte opii admodum expetendâ fugiente & exhalante. Facultates quoque tum catharticorum tum hypnoticorum, ne quæras extra eorum proprietates, quæ perinde ac in cardiacis, hepaticis, splenicis distinguuntur à ceteris dotibus quas possident. Quam benè mereretur de Medicinâ, quisquis (absque ostentatione) innatas medicamentorum vires naturâ suâ involutas, artis suæ operâ evolveret & manifestaret: sed verendum, ne sapiat ille ut pauper Alchymista, qui divitias, quas non exhibet, omnibus pollicetur.

LUDIT de corio humano, & Naturam insectari non morbum videtur, quisquis primis internarum inflammationum temporibus Mochlica præscribit. Si etenim ingens crimen est in acutis statim initio purgare, nisi materia turgeat, quod fit ὀλιγάκις, ac ferè nunquam, idque opus moliri debeant Medici προεξευκρινήσαντες; multo atrocius esset tunc temporis effrenatorum horumce purgantium usum insinuare, quo phlegmone obsessa pars, tota ardet & excandescit. Quis unquam animadvertit constanti & diuturnâ observationum serie, purgationem aliquam tum per superiora tum per inferiora ægrotantibus in pares angustias adductis, salutarem contigisse, ut tacitis Naturæ monitis sanisque consiliis non audiens (quam tamen in omnibus jurat imitandam) mochlicorum ope conflagrantis partis humores subtrahere aggrediatur: fortes quippe hæ medicinæ eximio calore præditæ, humori jam æstuanti faces admovent, quem potius cicurare præstabat: nihil ex partis accensæ foco detrahunt, ob humoris crudi & fortiter impacti contumaciam: partes quoque sanæ & solidæ earum impetu franguntur, naturaque tota atteritur, vi direptis spiritibus, quorum ingentes copiæ ipsius divitiæ sunt. Non parum quoque graviter peccat in rem ægrotantium, qui ipsummet opium hisce affectibus profuturum sibi suadens, crudum, seu variis involutum modis pro libidine, devorandum præbet; quod ut insigniter calidum, aptum est potius φλόγωσιν adaugere quam extinguere; præterea cum ex sua indole somnum conciliet, hic pestifer & exitialis in hisce malis habitus est, ut qui allapsos ad partem affectam humores sistit, quæ tunc sanguine, spiritibus, & calore, intro recurrentibus, tanquam subditis ignibus omnimodè perit.

QUOD est Architecto libella & linea, Nauclero in puppa sedenti clavus, id Medenti sunt Indicationes, quas cautè dirigit ad Naturæ normam, quæ cum sui juris est nec impedita, per grandem hæmorrhagiam, abundantem hæmorrhoidum fluxum, copiosum menstruorum profluvium, se à gravissimorum morborum insultibus vindicat. Medicus Naturæ sedulus imitator & minister, dum humorum sarcinâ pressa & gravata gemit, nec sibimet ipsi valet opitulari, venit in ejus subsidium; & imperato tenuissimo vivendi modo & lege; crebro quoque refrigerantium & lenientium usu, aliisque εὐχύμως καὶ φερνίμως præscriptis; per sanguinis missionem plena manu celebratam, imo ad animi deliquium, si vires constant, & cœlum, sexus, ætas & alia consentiunt, harumce inflammationum causam oppugnat: hujus enim pabulum & fomes est sanguis, qui furendo & æstuando in partibus, in quibus coercetur atque compingitur, has seditiones concitat & movet: eo evacuato cuncta tepescunt, æstus pacatur, serenitas advenit, & ægri penè omnes convalescunt. Quis quoque nescit in subitis timoribus & mœroribus, in quibus imminet suffocationis periculum, vitam esse redditam usu generosi præsidii, cujus ope sanguis & spiritus in visceribus collecti explicantur, & ab illis revelluntur. Quis non expertus est in magnis vulneribus, quæ spem salutis non adimunt, uberem cruoris ex parte læsâ profusionem, salutarem eventum celerioremque sanationem portendere atque procurare. sic sanguinis detractio liberalis & tempestiva, tanquam ἡγεμονικὸν præsidium ad salutem proximum & quasi compendiarium, ad hosce affectus, quorum plerique peracuti sunt, edomandos, omnibus mochlicis valentius, quibuslibet opiatis securius præsto erit; ut cujus utilitas & opportunitas Medicinæ Principum authoritate, traditione, usu, experientiâ, fulcitur; ratione, methodo, judicio, stabilitur.

Nunquam ergo incipientibus internis inflammationibus Mochlica, & hypnotica ex opio, phlebotomiæ præferenda.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Pontius Mauriu.
M. Franciscus Maillard.
M. Joannes Poisson.

M. Jacobus des Prez.
M. Petrus-Paulus Guyart.
M. Franciscus le Rat.



M. Petrus Lombard.
M. Philippus Mathon.
M. Raymundus Finot.

Proponebat Parisiis ANTONIUS SERIN, Francopolitanus Diœcesis Ruthenensis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1696.